

affert Pasqualig. *T. 2. q. 820.* quibus demonstratur, quod non deceat Sacerdotum corpora cum Sacris Vestibus sepelire: Sed has omnes aliis validioribus rationibus destruit, et licitam esse consuetudinem astruit induendi Sacerdotes defunctos habitu Secerdotali: Nec obstat frigida illa objectio, quod Vestes Sacerdotales sint adhibendae tantummodo in Ecclesiasticis officiis Deo gratis; quia dum adhibentur ad ornandos defunctos Sacerdotes, sunt in officio Ecclesiastico; nam sepultura est pars illius officii, quod consistit in exequiis.

119 Inter caeteras Sacerdotales Vestes, seu supellectiles, Laviorius *d. l.* enumerat quoque Calicem, ut in manibus Sacerdotum alligetur, prout suo tempore erat consuetudo Romae. Sed doctissimus Sarnellius *ep. 33. T. 1.* improbat hanc consuetudinem ponendi Calicem cum Patena in manibus Sacerdotum defunctorum, et etiam Missale apertum, eo quia Rubricae repugnat, et decentiae: nam cum vetitum fuerit per *Concilium Arvern. Can. 5. et Altisiod. d. can. 12.* ne opertorio Domini, seu Pallio Altaris Sacerdotum corpora obtegerentur, dum ad Tumulos evehuntur, quia dum honorandum corpora, altaria polluuntur; ita pari pactu et potiori ratione, neque Calice, seu patena ornari debent hujusmodi cadavera, quia haec sunt Vasa propria Altari, et Sacramentis immediate inservientia, eo modo, quo palla Altaris.

120 Apud Graecos olim in usu erat, ut Sacerdotum cadavera Oleo Sacro ungerentur: antequam sepulchris traderentur: et habetur ex S. Dionis, *Areop. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 7.* his verbis: *Tum Antistes Oleo mortuum perfundit, sanctaque prestatione pro omnibus adhibita, in loco honorato corpus, cum aliis ejusdem Ordinis sanctis corporibus reponit, et condit.* Et mysterium hujus caeremoniae explicat subdens: *At tunc quidam Olei perfusio ad Sacra certamina, eum, qui initiabatur, vocabat; nunc autem Oleum, quod infunditur, eum, qui excessit e vita in ipsis certaminibus certasse, decessisse declarat.* Clericat. *de Extr. Unct. 61. n. 4.*

121 Vestes itaque Ecclesiasticarum Personarum, primo debent esse illae, quibus incedendo utebantur, productae usque ad talos: Collare insuper, foemoralia. caligae, calceamenta seu crepidae, non autem pallium, quia hoc non est indumentum, sed seperindumentum, et in funeribus imponitur tantum Doctoribus, ut Toga totaliter compleatur.

122 Porro desuper induendae sunt vestes ejus Ordinis: si Sacerdos sit, omnes, et quaecumque praescribuntur a Rituali una cum Biretto in formam Crucis, quo omnes Ecclesiastici utuntur. Planeta praescribitur violacei coloris, utpote quia moerorem, et poenitentiam significat: sed communis usus est adhibendi Planetas nigras non ob aliud, credo, nisi quia facilius reperiuntur in Ecclesiarum Sacristiis, ex quo in usu pene

continuo sunt ad Missas pro Defunctis celebrandas: Non ita vero Planetae violaceae, quarum usus in Missa non ita frequens est. Itaque per hoc, quod Rubrica praescribat Planetam violaceam, non excluduntur Planetae nigrae, eo quia etiam in agenda defunctorum quandoque permittitur usus Planetae violaceae: Et S. Carolus *Act. p. 4. de fun. et exeq. Cleric.* praescribit planetam debere esse Albi coloris: sed fortasse hoc erit pro ritu Ambrosiano. Huic Rubricae demum obstat dispositio testamentaria Sacerdotis, vel Clerici defuncti sepelliendi: nam datur quandoque casu in quo humilitatis causa quis disponat de sepultura humiliori modo; et tunc dummodo decor ecclesiasticus servetur, concedi potest.

§. XII. Diaconus vero induatur Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, Stola super humerum sinistrum, quae sub axilla dextra annectatur, et Dalmatica violacea.

123 Eodem modo, quo incedit Diaconus in Sacrificio Missae, debet quoque in funere demonstrari. Idem praescribit S. Carolus, *Ibid.*

§. XIII. Subdiaconus autem Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, et Tunicella, etc.

124 125 Quod de Diacono scriptum est, dicitur etiam de Subdiacono, et concordat cum praescriptis a S. Carolo supracitato. Posset quaeri cur tam Diaconi, quam Subdiaconi deferre debeant manipulum, cum ex ritu sit, quod deponatur in Processionibus? Cui respondeo. Quamvis in exequiis Processio fiat, attamen defunctus non gerit in ea vices Diaconi, aut Subdiaconi, sed omnimodam suam dignitatem ostendit, deferendo insignia sui Ordinis.

§. XIV. Alii preterea inferiorum ordinum Clerici, superpelliceo supra Vestem Talarem ornari debent, singuli praedicti cum Tonsura, et Birettis suis.

126 127 Superpelliceum est Vestis propria quorumcumque Clericorum, et signum eorum gradui congruum; quod in fune-

ribus inservit ad ornatum, non ad ministerium. De Biretto jam supra diximus. §. 11, de Tonsura vero hoc unum dico, quod si in longa Defuncti infirmitate, facti sint longi Capilli, et coma proluxa, decet, ut tondeantur ad mensuram consuetam, ut in omnibus pateant ornamenta suae dignitatis, et gradus: imo non incongruum esset in capite Defuncti Ecclesiastici Coronam Clericalem de novo efformare, quando in infirmitate deperdita sit.

§. XV. Nullum porro cadaver perpetuae sepulturae traditum ex illa cujusvis ordinis Ecclesia asportari liceat, nisi de licentia Ordinarii.

128 129 130 131 132 Immediate ac Cadaver aliquod sepulturae Ecclesiasticae traditum est, jurisdictioni Ordinarii subjacet: ideoque sine ejus licentia non potest exhumari, et asportari. Limitandum tamen hoc venit, si sepultura non esset perpetua, sed per modum depositi, ut fieri solet de cadaveribus illustrium Personarum, quae extra patriam decesserint, et ab haeredibus transferri velint. Item limita si expurganda essent Sepulchra, et asportanda ossa vel ad publicum Coemeterium, vel ad illud Ecclesiae propriae. Denuo sublimita, si per errorem aliquod Cadaver humatum esset in non suo sepulchro, vel non convenienti, et foret exhumandum pro reponendo illo in aliud Sepulchrum ejusdem Ecclesiae: tunc sine licentia Episcopi id fieri posset. Sed quando nulla ex istis causis movet ad hujusmodi translationem, non potest haec fieri absque Ordinarii facultate, quae justis de causis denegari potest, c. Corpora Sanctor. de consecr. dist. 2. l. final dum. l. nemo humanum, Cod. de relig. et sumpt. fun. Samuell. dict. T. 1. contr. 5. concl. 1. nu. 1. et 2. Nam translatione mortuorum violantur sepulchra, Lavor. dict. c. 7. nu. 26. et ut ista violatio non eveniat, debet impetrari licentia, quia de jure illicita est: quando cadaver perpetua sepulturae traditum sit. Marcian, l. 56. ff. de regul. et sumpt. sun.

133 Quibus justis causis possint transferri cadavera, vide Lavor. dict. T. 11. c. 7. num. 29. Pro quorum tamen translatione de uno in alium locum, nullam deberi Gabellam declaravit S. C. Immunit. in una Firmana 10. Junii 1613. Ricci Synops. verb. Cadaver. etiamsi sit de una in aliam Civitatem, seu de Villa ad Urbem.

134 Diximus supra, justis de causis posse hanc facultatem ab Episcopis denegari: laudabilis enim praxis magnorum Tribunalium illa est, ut ad evitandam humanorum cinerum vexa-

tionem, numquam permittant exhumari Cadavera; sed praevia declaratione nullitatis humationis, rescribere solent pro sola restitutione emolumentorum funeris: ut de praxi S. Rotae affert Ursaya T. 1. p. 1. d. 7. n. 66. ex qua praxi remanet manifestum, quod ea Tribunalia, nulla habita ratione instantiae Haeredum incongruae, unice respiciunt praejudicium illarum Ecclesiarum, in quibus defunctus sepeliri debebat. Hoc tamen non obstante, firmum semper remanet jus pro restitutione, licet de congruo non fiat.

135 136 137 138 139 Ista exhumatio, seu translatio quandoque facienda occurrit pro recognitione corporis delicti facienda a Judice saeculari. In hoc casu solet concedi haec facultas a S. C. Immunitatis. Sed hoc valent etiam facere Episcopi per allegat. a Monacell. T. 1. tit. 6. for. 7. per totum: quando Cadaver non sit Personae Ecclesiasticae, quia tunc, absque tergiversatione, licentia hujusmodi est impetranda a S. C. Immunitatis. Et licentiam in primo casu potest Episcopus denegare, si ita sibi expedire videatur ad evitandum aliquod inconveniens, Sperell. dec. 51. n. 17. Resol. crim. 2. n. 3. quos (rejectione Januensi in Prax.) sequitur Raynald. Observ. Crimin. T. 1. c. 1. §. 11. n. 35. Quam facultatem potest tradere Episcopus, etiam si Ecclesia esset Regularium. S. C. Immunit. in una Maceraten. 8. Aug. 1645. allegat. a Monacell. d. l. Nec Regulares posse de jure exhumare Cadavera perpetuo sepulturae tradita in suis Ecclesiis absque Episcopi licentia, eo fine, ut a crucia saeculari recognoscantur, declaravit S. C. Ep. et Reg. 11. Sept. 1643. quae Episcopo Placentino ordinavit, ut quosdam reprehenderet Regulares, qui permiserant exhumari cadaver defuncti cujusdam, ut a curia saeculari recognoscere-tur, absque dicti Episcopi licentia, et consensu, Samuel. d. Tr. 1. contr. 13. Conc. 8. n. 23.

140 141 142 Dixi unicum verbum supra de sepeliendo Cadavere per modum depositi: modo subdo, Statutum Cleri Romani sub c. 4. §. 6. haec mandare: Cadavera extra limites Parochiae, in qua obierunt, absque ejusdem Parochi licentia in depositum non deponantur, Cardinalium Cadaveribus exceptis, Rota coram Priol in una Romana Juris tumulandi 20. Febr. 1702. n. 35. §. et demum: allegat. a Monacell. Append. dec. 18. ubi notandum; quod quando defunctus in aliqua Ecclesia depositetur, ut in aliam transferatur, fieri debet authenticum testimonium; videlicet, talem defunctum ibi minime tumulari perpetuo, sed tantum ad tempus depositari, ac tale Instrumentum tempore translationis praesentari debet ante Judicem Ecclesiasticum, et ab illo venia impetrari transferendi, et superiori illius Ecclesiae, ad quam transfertur, notificari, et tunc Missa de Requiem, etc. dicta, potest ad destinatum locum Com.—P. 16.

transferri. l. 1. C. de Reliq. et sump. fun. Samuel. d. l. conc. 3. ubi multa de hac materia. Quomodo ista licentia executione demandanda sit, et quibus cautelis, necnon quarum Personarum assistentia; vide Monacell. loco citato.

§. XVI. Laici cadaver, quolibet generis, aut dignitatis titulo praeditus ille fuerit, Clerici ne deferant, sed Laici.

143 Hoc praescriptum fuit, ne confunderentur jura: quamvis enim deferre mortuos officium pietatis, et opus misericordiae sit, attamen semper est actus servitutis, quae a Clerico Laici praestanda non est, Lator. T. 2. c. 2. n. 60. 61. ubi dicit, quo nonnumquam a Personis ejusdem ordinis, et qualitatis, cujus erat defuncti corpus, ut a Sacerdotibus, Sacerdotum; Clericis, Clericorum; Confratribus, Confratrum corpora efferri solent, Rational, Divin. Off. l. 7. c. 35. Unde S. Carolus Act. 2. de Ritu funer. inter Laicos, qui Laici corpus efferre hortentur, includit, et monet Confratres saeculares.

In Constitutionibus Synodalibus diversarum Ecclesiarum, et praecipue Ferrariensis. c. de Funer. et Sepult. sancitum est ita: Per tres Clericos assistentes Cathedralis Sacristiae, et alium inservientem sodalitate Sanctissimi Sacramenti in ipsa Ecclesia, deferantur ad sepulchra cadavera Sacerdotum, nulla etiam data mercede, hoc exigat Paupertas Defuncti: quod adamussim, et inviolabiliter observatur.

145 Viros in dignitate Constitutos, Canonicos, Parochos, et hujusmodi solent deferre Viri ejusdem ordinis, non in toto itinere Processionis, sed pro prima elevatione scilicet quando Cadaver e Domo deducitur per aliquot passus, ut ita appareat fraternae charitatis exemplum.

146 In aliquibus locis ruralibus, vidi cadavera mulierum a Foeminis deferri, sed non laudavi, Relinquendum est hoc munus Foeminis tantummodo in perpetua clausura degentibus, ubi Virorum penuria est, nec ita facile illis permittitur, ut monasteria ingrediantur.

§. XVII. Corpora Defunctorum, in Ecclesia ponenda sunt pedibus versus Altare majus, vel si conduntur in Oratoriis, aut Cappellis, ponantur cum pedibus versus ad illarum Altaria: quod etiam pro situ, et loco fiat in sepulchro. Presbyteri vero habeant caput versus Altare.

147 Iste paragraphus spectat ad formam diversimodam collocandi Cadavera, dum exponuntur in Ecclesia pro Exequiis, et dum sepulchris traduntur. Generice loquendo, sicuti pedes hominis sunt qui praesedunt, dum intrat Ecclesiam, ita pedes semper primi esse debent versus Altare. Ultra quam quod esset quaedam irreverentia, si Laicus terga verteret Altari.

148 Hoc vero non currit pari passu in Sacerdotibus. Istorum Cadavera postquam intraverint Ecclesiam, caput vertunt ad altare, ex privilegio dignitatis Sacerdotalis, per quod fit etiam, ut dum ad Altare celebrant, faciem vertant versus populum, et terga Altari, etiam si in Tabernaculo claudatur Eucharistia; quos enim salutamus, eis faciem praesentamus, Gavant Part. 2. t. 5. de Orat. quod non faciunt alii ministri Altaris: ideoque privilegium hoc habendi caput versus Altare in funere solis Sacerdotibus conceditur, non vero aliis Clericis etiam in Subdiaconatus, vel Diaconatus ordine constitutis.

149 Quod fit in Ecclesia pro Exequiis, idem fit etiam in sepulchris condendo cadavera, ut etiam inter mortuos appareat haec distinctio. Dicendum tamen hoc est, quando Sepulchri commoditas id permittat: dantur enim in aliquibus Ecclesiis sepulchra inverso ordine constructa, in quibus non ita facile condi possunt Cadavera, secundum Ritus praescriptum: atque hac de causa subjungit Textus verba illa; Pro situ.

150 Antiquitus Cadavera collocabantur in Monumentis diversimode: alia ad ortum Solis, alia ad Occassum, Aelian. l. 5. var. Hist. Verum Jo. Baptista Rubeus de Div. Offic. l. 4. cap. 45. ait, quod debet Homo sepeliri, ut capite ad Occidentem posito, pedes dirigat ad Orientem. (Ita erant constructa omnia Tempia in primitiva Ecclesia, ut Altare, quod erat unicum, ad Orientem haberent, et Portam ad Occidentem) in quo quasi ipsa positione orat, et innuit, quod de Occasu festinet ad Ortum; de Mundo ad saeculum. Cadavera supina etiam posita legimus, quod et hodie servari communiter videmus.

§. XVIII. Caeterum nemo Christianus in communione Fidelium defunctus, extra Ecclesiam, aut Coemeterium rite benedictum sepeliri debet. Sed si necessitas cogat, ex aliquo eventu, aliquando ad tempus aliter fieri, curetur, ut quatenus fieri poterit, corpus in locum Sacrum quamprimum transferatur; et interim semper Crux capiti illius apponi debet, ad significandum illud in Christo quievisse.

151 Jus commune determinare pro unoquoque sepulturam, ut nimirum debeat quisque sepeliri, aut in sepulchro majorum suorum, aut in Ecclesia Parochiali, docet Pignatell. *T. 7. cons. 21. num. 1.* ex quo provenit, ut nemo extra loca superius dicta, licite sepeliri possit, tam ratione Juris communis, quam ratione *l. 2. Cod. de Sacros. Eccl.* dummodo Fidelis sit, nec impedimentum habeat, a quo ad hujusmodi Ecclesiastica sepultura arceatur, ut in sequenti Titulo dicemus: quorum maximum impedimentum illud est, quod talis Homo non sit mortuus in communione Fidelium.

152 Datur quandoque casus, prout in bello, quod corpora humana nequeant deferri ad Ecclesiam, ut humentur si cadavera sint Fidelium: sed in hoc casu de facili benedici potest locus ad usum coemeterii: De hac benedictione agemus suo loco in Titulis *de Benedictionibus*; modo hoc unum dicam, Coemeterium debere esse locum Sacrum, non ab officio suo ita factum, sed a benedictione rite, et recte illi data: nisi Missae in coemeterio celebrarentur, quia in hoc casu, quamvis coemeterium benedictum non sit, attamen pro loco Sacro habetur, quia ex Missarum celebratione sacer efficitur, ac religiosus, adeo ut nefas sit, quod in eo corpus excommunicati sepeliatur, Sumuel. *d. Tr. 1. contr. 16. conclus. 3.*

153 Caeterum ad construendum Coemeterium benedictum de per se, non autem provisionale, ut in casu supradicto, requiritur deputatio, cum aliis solemnitatibus, et Diocesani Benedictione, prout in *Auth. de Ecclesia, §. si quis, de fabrica, cum authent. de monit. §. illud.*

154 Insuper potest etiam dari casus aliquando, in quo cadaver non possit humari in loco Sacro, et necessitas urgeat, ut sepeliatur. Tunc potest sepeliri in loco non sacro, sed non per hoc est in oblivione ponendum, adeo ut ibi requiescat usque ad immutationem universalem; limita vero, tunc cum detur facilis exhumatio hujus cadaveris; quod si difficiliter exhumari, et effodi posset, relinquendum esset in sua requie; puta si in flumine: si in Mari: si in Terris Infidelium, etc. Necessitatis vero istae difficiliter dari posse credo in Civitatibus, et locis fidelium: etsi daretur quod Tumulus adhuc aedificatus non esset, vel Ecclesia corrueret, facile invenirentur Coemeteria, et Ecclesiae, in quarum una reponi posset Cadaver saltem per modum depositi; nisi esset tota Civitas interdicta, vel totus locus, in quo tale Cadaver reperitur, ut dicemus in Titulo sequenti.

Ad Crucem modo digrediendum est, de qua loquitur Textus in hoc paragrapho.

155 156 In Coemeteriis una Crux in medio super columnam posita sufficit pro omnibus Cadaveribus in illo humatis, et humanis. Aliqui tamen solent Crucem parvam ligneam, vel

ferream plantare ad novam foveam; in qua de recenti repositum sit Cadaver, et hoc signat, quod Sandapilarii se abstineant ibi a nova effossione per aliquod temporis spatium, donec Cadaver ibi humatum consumptum judicari possit. Si vero extra locum Sacrum necessitate illa, quam supradiximus, urgente, aliquis Fidelis sepultus esset, tunc Crux apponenda est, Labor. *tit. 2. c. 6. n. 121.* constanter dicit, quod in quocumque loco extra Coemeterium Christianus sepeliatur, semper Crux capiti ejus apponi debeat, ad denotandum illum fuisse talem.

157 In hoc casu Crux hujusmodi in solo alieno infixam, jurisdictionem non significaret quemadmodum in funeribus associandis, Manaruta *Apodix. p. 1. pag. 121.* Sed tantummodo esset signum distinctivum personae ibi tumulatae, ut facile in casu exhumationis, et translationis inveniri posset.

158 Solent etiam Cruces hujusmodi pingi, et signari in capsula, seu in operculo ipsius Capsae, in qua includuntur cadavera, sed istud signum non apparet nisi usque dum extra sepulchrum sit: postquam vel in foveam vel in Tumbam immissa est, penitus latet.

159 Alio insuper Christianae Religionis signo obsignantur in primitiva Ecclesia Christi fidelium sepulchra: nempe monogrammate littera X. quam P. intersecat hoc pacto, quod Symbolum, cum Christum denotaret, indicabat, mortuos ibi sepultos, eundem Christum in vita imitatos, et sequutos fuisse, Casal. *cap. 66.* et Macrius *Hierol.*

160 161 Sed non solum supradicta nota fidelitatis signabantur sepulchra: unicam etiam litteram X. observavit doctissimus Casalius in Coemeteriis; quam litteram potius esse Crucem credo, illo transverso modo efformatam ab imperitis Fidelibus illius aetatis, seu a piis foeminis, quae Coemeteria, et sepulchra Christianorum custodiebant. Fusius hanc rem tractant Casalius, Fabrettus, et Paulus Aringhi in *Roma subterranea, per tot.*